

# Iacopo Sannazaro Girolamo Fracastoro Marco Girolamo Vida

## Iacopo Sannazaro (1458–1530)

### De partu Virginis

#### 1, 82–108

Dixerat. Ille altum Zephyris per inane vocatis  
carpit iter, scindit nebulas, atque aera tranat  
ima petens, pronusque leves vix commovet alas.  
85 Qualis, ubi ex alto notis Maeandria ripis  
prospexit vada, seu placidi stagna ampla Caystri,  
praecipitem sese candenti corpore cycnus  
mittit agens: jamque implumis, segnisque videtur  
ipse sibi, donec tandem potiatur amatis  
90 victor aquis: sic ille auras, nubesque secabat.  
Ast ubi palmiferae tractu stetit altus Idumes:  
Reginam haud humiles volventem pectore curas  
adspicit; atque illi veteres de more Sibyllae  
in manibus: tum siqua aevo reseranda nepotum  
95 fatidici casto cecinerunt pectore vates.  
Ipsam autem securam animi laetamque videres  
auctorem sperare suum: namque adfore tempus,  
quo Sacer aethereis delapsus Spiritus astris  
incorruppta piaecompleret viscera Matris,

100 audierat. Proh, quanta alti reverentia caeli  
virgineo in vultu est! Oculos dejecta modestos  
suspirat: matremque Dei venientis adorat:  
felicemque illam, humana nec lege creatam  
saepe vocat: nec dum ipsa suos jam sentit honores,  
105 cum subito ex alto juvenis demissus Olympo  
purpureos reteggit vultus, numenque professus  
incessuque habituque, ingentes explicat alas,  
ac tectis late insuetum diffundit odorem.

## **2, 377–396**

Tunc Puerum tepido Genitrix involvit amictu,  
exceptumque sinu, blandeque ad pectora pressum  
detulit in praesepe: hic illum mitia anhelos  
380 ore foveat jumenta. O rerum occulta potestas!  
Protinus agnoscens Dominum procumbit humi bos  
cernuus, et mora nulla, simul procumbit asellus  
submittens caput, et trepidanti poplite adorat.  
Fortunati ambo! non vos aut fabula Cretae  
385 Polluet, antiqui referens mendacia furti,  
Sidoniam mare per medium vexisse puellam:  
aut sua dum madidus celebrat portenta Cithaeron,  
infames inter thyasos, vinosaque sacra  
arguet obsequio senis insudasse profani:  
390 solis quippe Deum vobis, et pignora caeli  
nosse datum, solis cunabula tanta tueri.  
Ergo dum refugo stabit circumdata fluctu  
terra parens; dum praecipiti vertigine caelum  
volvitur; Romana pius dum templa sacerdos  
395 rite colet; vestri semper referentur honores:  
semper vestra fides nostris celebrabitur aris.

## **Eclogae piscatoriae 2: Galatea**

Forte Lycon uacuo fessus consederat antro  
Piscator qua se scopuli de uertice lato  
Ostentat pelago pulcherrima Mergilline.  
Dumque alii notosque sinus piscosaque circum

5       Aequora collustrant flammis aut linea longe  
Retia captiuosque trahunt ad litora pisces,  
Ipse per obscuram meditatatur carmina noctem:  
Immitis Galatea, nihil te munera tandem,  
Nil nostrae mouere preces? uerba irrita uentis  
10       Fudimus et uanas scopulis impegimus undas.  
Aspice, cuncta silent, orcas et maxima cete  
Somnus habet, tacitae recubant per litora phocae,  
Non Zephyri strepit aura, sopor suus umida mulcet  
Aequora, sopito conniuent sidera caelo;  
15       Solus ego (ei misero) dum tristi pectore questus  
Nocte itero, somnum tota de mente fugauī,  
Nec tamen ulla meae tangit te cura salutis.  
At non Praxinoe me quondam, non Polybotae  
Filia despexit, non diuitis uxor Amyntae,  
20       Quamuis culta sinu, quamuis foret alba papillis.  
Quin etiam Aenaria (si quicquam credis) ab alta  
Saepe uocor; solet ipsa meas laudare Camenas  
In primis formosa Hyale cui sanguis Iberis  
Clarus auis, cui tot terrae, tot litora parent  
25       Quaeque uel in mediis Neptunum torreat undis.  
Sed mihi quid prosunt haec omnia, si tibi tantum  
(Quis credat, Galatea?) tibi si denique tantum  
Displiceo? si tu nostram crudelis auenam  
Sola fugis, sola et nostros contemnis amores?  
30       Ostrea Miseni pendentibus eruta saxis  
Mille tibi misi, totidem sub gurgite uasto  
Pausilypus, totidem uitreis Euploea sub undis  
Seruat adhuc; plures Nesis mihi seruat echinos  
Quos nec uere nouo foliis lentiscus amaris  
35       Inficit aut uacuae tenuant dispendia Lunae.  
Praeterea mihi sub pelago manus apta legendis  
Muricibus; didici Tyrios cognoscere succos  
Quoque modo plena durent conchylia testa.  
Quid refugis? Tingenda tibi iam lana paratur  
40       Qua niteas superesque alias, Galatea, puellas,  
Lana maris spumis quae mollior. Hanc mihi pastor  
Ipse olim dedit, hanc pastor Melisaeus, ab alta  
Cum me forte senex audisset rupe canentem,

Et dixit, »Puer, ista tuae sint praemia Musae,  
45 Quandoquidem nostra cecinisti primus in acta«.  
Ex illo in calathis seruavi, ut mittere possem.  
Sed tu (ne qua miti superet spes, ne qua futuri  
Conditio, Galatea) manum mihi dura negasti.  
Hoc est, hoc, miserum quod perdidit. Ite Camenae,  
50 Ite procul; spreuit nostras Galatea querelas.  
Scilicet (exiguae uideor quod nauita cymbae.  
Quodque leues hamos nodosaque retia tracto)  
Despicias. An patrio non hoc quoque litore Glaucus  
Fecerat, aequoreae Glaucus scrutator harenae?  
55 Et nunc ille quidem tumidarum numen aquarum.  
Sed nec (quae nimium uel me sic falsa fatigat)  
Fabula te moueat Lydae, licet illa puellis  
Iactet nescio quas mihi se misisse corollas;  
Non me Lyda tamen, non impulit, aequora testor  
60 Nereidasque omnes. Si fallo, naufragus illas  
Experiar salsosque bibam sub gurgite fluctus.  
Heu quid agam? Externas trans pontum quaerere terras  
Iam pridem est animus, quo numquam nauita, numquam  
Piscator ueniat: fors illic nostra licebit  
65 Fata queri. Boreae extremo damnata sub axe  
Stagna petam et rigidis numquam non cana pruinis  
An Libyae rapidas Austrique tepentis harenas.  
Et uideam nigros populos Solemque propinquum?  
Quid loquor infelix? an non per saxa, per ignes,  
70 Quo me cumque pedes ducent, mens aegra sequetur?  
Vitantur uenti, pluuias uitantur et aestus,  
Non uitatur amor; mecum tumuletur oportet.  
Iam saxo meme ex illo demittere in undas  
Praecipitem iubet ipse furor. Vos o mihi Nymphae,  
75 Vos maris undisoni Nymphae, praestate cadenti  
Non duros obitus saeuasque exstinguite flammis.  
Scilicet haec olim, ueniens seu litore curuo  
Caietae, seu Cumarum naualibus altis,  
Dum loca transibit, raucus de puppe magister  
80 Hortatus socios »Dextrum deflectite« dicet  
»In latus, o socii, dextras deflectite in undas;  
Vitemus scopulos infames morte Lyconis«.

Talia nequiquam surdas iactabat ad auras  
Infelix piscator et irrita uota fouebat,  
85 Cum tandem extremo ueniens effulsit ab ortu  
Lucifer et roseo perfudit lumine pontum.

## **Girolamo Fracastoro (1483–1553)**

### **De morbo Gallico, 3, 93–129**

Quis Deus hos illis populis monstrauerit usus:  
Qui demum et nobis casus, aut fata tulere  
95 Hos ipsos: unde et sacrae data copia syluae,  
Nunc referam. Missae quaesitum abscondita  
Nerei Aequora, in occasum Solisque cubilia, pinus,  
Littoribus longe patriis, Calpeque relictis,  
Ibant Oceano in magno, pontumque secabant,  
100 Ignaraeque uiae, et longis erroribus actae.  
Quas circum innumerae properantes gurgite ab omni  
Ignoti noua monstra maris Nereides udae  
Adnabant, celsas miratae currere puppes,  
Salsa super pictis uolitantes aequora uelis.  
105 Nox erat, et puro fulgebat ab aethere Luna,  
Lumina diffundens tremuli per marmora ponti,  
Magnanimus quum tanta heros ad munera fati  
Delectus, dux errantis per caerula classis;  
»Luna«, ait, »O pelagi cui regna haec humida parent,  
110 Quae bis ab aurata curuasti cornua fronte,  
Curua bis explesti, nobis errantibus ex quo  
Non ulla apparet tellus, da littora tandem  
Aspicere, et dudum speratos tangere portus,  
Noctis honos, coelique decus Latonia uirgo.«  
115 Audiit orantem Phoebe, delapsaque ab alto  
Aethere, se in faciem mutat, Nereia quali Cymothoe,  
Clothoque natant, iuxtaque carinam  
Astitit, et summo pariter nans aequore fatur:  
»Ne nostrae dubitate rates, lux crastina terras  
120 Ostendet, fidoque dabit succedere portu.  
Sed uos littoribus primis ne insistite: dudum

125 Ultra fata uocant. Medio magna insula ponto  
Est Ophyre, huc iter est uobis, hic debita sedes  
Imperiique caput«. Simul haec effata, carinam  
Impulit: illa leui cita dissecat aequora cursu.  
Aspirant faciles aerae, et iam clarus ab undis  
Surgebat Titan, humiles quum surgere colles  
Vmbrosi procul, et propior iam terra uideri  
130 Incipit. Acclamant nautae, terramque salutant,  
Terram exoptatam. Tum portu et littore amico  
Excepti, diis uota piis in littore soluunt:  
Quassatasque rates, defessaque corpora curant.

## Marco Girolamo Vida (1485–1566)

### Christias 5

900 Attamen armati morienti illudere pergunt,  
Estque hosti duro in bello multo optimus hostis,  
Crudeli quassant risu caput : undique circum  
Insultant, tolluntque has laeti ad sidera voces:  
En! qui se coelo missum, superique parentis  
Progeniem jactat, temploque urbique minatus,  
905 Seque Deum fictor fandi mentirier audet:  
I, sequere, illiusque pius nunc numen adora.  
Qui multos lethi eripuit de faucibus olim,  
Non potis ipse sibi tali in discrimine adesse.  
Falsus abest illi longe, nec talia curat  
910 Nunc genitor: sane infami nunc liber ab orno  
Desiliat, si numen habet, vincla omnia rumpat:  
His quoque nos signis missum credemus Olympo.

Talia jactabant, mediaque in morte dolore  
Semianimem hoc etiam cumulabant: cuncta ferebat  
915 Ille animi invictus: saevis clementius aequo  
Hostibus orabat veniam, patremque rogabat,  
Parceret ignaris rerum, caecisque furore.

At vero inter se adversis decernere dictis  
Auditi, poenas qui juxta ob furta luebant  
920 Supplicio aequali juvenes gemina arbore fixi.

Alter enim furiis longisque doloribus actus  
Ipse etiam verbis morientem herosa superbis  
Stringebat miser, ac tales dabat ore loquelas:  
I nunc, & templi multa constructa virum vi  
925 Demolire adyta, & post tres rursus erige lucas.  
Nunc, tibi si genus e summo traheretur Olympo,  
Eque Deo genitore fores, ut te ipse ferebas,  
His te, nos pariterque malis prohibere liceret:  
Verum, omnes quando jactasti vana per urbes,  
930 Nobiscum moriere, Dei mentita propago.

Non tulit haec alter, dextra qui in parte propinquus  
Jam morti pendebat, & haec extrema profatus:  
Infelix! quae tanta animo dementia sedit?  
Nos ambo merito luimus peccata, sed insons  
935 Proditur hic odiis: quin nos commissa fatentes  
Aequius hic fuerat veniam pacemque precari.  
Sic ait: hinc Divum conversus lumina in ipsum  
Talibus orabat: superi tu certa parentis  
Progenies (nam celsa manent te sidera) ab alto  
940 Refpice me, & dexter morienti protinus adsis.

Annuit, & verbis Deus est dignatus amicis.  
Tu partem laudis capies, tu gaudia mecum:  
Quae me cunque hodie, una eadem te regna beatum  
Accipient, ait, astra alacri jam concipe mente.

945 Vix ea, nam vitae labentis fine sub ipso,  
Dum luctante anima fessos mors exuat artus,  
Aestuat: it toto semper de corpore sudor  
Largior, & siccis torret sitis arida fauces.  
Tum vix attollens oculos jam morte gravatos  
950 Exiguum sitiens laticem suprema poposcit  
Munera: vix tandem corrupti pocula Bacchi  
Inficiunt felle, & tristi perfusa veneno,  
Ingratosque haustu succos, inamabile virus  
Arenti admorunt morientis arundine linguae,  
955 Quae, simul extremo libans tenuis attigit ore,  
Respuit, atque diu labris insedit amaror.

Interea magno lis est exorta tumultu,  
Jamque fere medium cursu trajecerat orbem,  
Cum subito ecce! polo tenebris caput occulit ortis  
960 Sol pallens, medioque die (trepidabile visu!)  
Omnibus incubuit nox orta nigerrima terris,  
Et clausus latuit densis in nubibus aether  
Profpectum eripiens oculis mortalibus omnem.  
Hic credam, nisi coelo absint gemitusque dolorque,  
965 Aeternum genitorem alto ingemuisse dolore,  
Sidereosque oculos terra avertisse nefanda;  
Signa quidem dedit, & luctum testatus ab alto est.  
Emicuere ignes: diffulsit conscius aether,  
Concussuque tonat vasto domus ardua Olympi,  
970 Et caeca immensum percurrunt murmura coelum:  
Dissiluisse putes divulsi moenia mundi.  
Sub pedibus mugit tellus: sola vasta moventur:  
Tecta labant: nutant succussae vertice turres:  
Obstupuere humiles subita formidine gentes,  
975 Et positae extremis terrarum partibus urbes.  
Causa latet, cunctis magnum ac mirabile visum!  
Et populi aeternas mundo timuere tenebras  
Attoniti, dum stare vident caligine coelum.  
Ipsam autem propior Solymorum perculit urbem,  
980 Ac trepidas stravit mentes pavor: undique clamor  
Tollitur in coelum : sceleris mens conscia cuique est.  
Templa adeunt subito castae longo ordine matres:  
Incedunt mixti pueri, intactaeque puellae,  
Perque aras pacem exquirunt, quas thure vaporant  
985 Suppliciter, sacrisque adolent altaria donis.  
Ecce! aliud coelo signum praesentius alto  
Dat pater altitonans, & templum saevit in ipsum:  
Velum latum, ingens, quod vulgi lumina sacris  
Arcet inaccessis, in partes finditur ambas,  
990 Et templi ruptae crepuere immane columnae.

Jamque Deus rumpens cum voce novissima verba  
Ingenti, horrendumque sonans, en! cuncta peracta:  
Hanc insontem animam tecum, pater, accipe, dixit,  
Supremamque auram ponens caput expiravit.



## **Christias 6**

IAMQUE nigrescenti properabat vesper Olympo:  
Corpora adhuc stabant inhumata infletaque cano  
Vertice, stipitibusque etiam nunc fixa manebant.  
Talia Iosephus veniens Arimathide ab ora  
5 Non tulit egregiusque animi, praestansque iuventa,  
Et bellis assuetus, agri ditissimus idem,  
Atque auri: is Christi miratus maxima facta  
Addiderat comitem modo se, quocunque vocaret.  
Ergo dum sylvis alii formidine turpi,  
10 Speluncisque vagi passim conduntur in altis,  
Protinus ipse animi intrepidus, fretusque iuventa  
Aggreditur gentis rectorem, ac talia fatur: